

ripere Clericorum, & Canonicorum excelsus, ut prægnantibus sententiis dixit *Cælestinus in c. irrefragabili de officio Ordinar.*, ubi *glos. in Vers. ne sanguis eorum*, ait, *durū verbum est istud pro Prælati negligentibus subditos corrigere*, & magnum abusum dicit, *Roderic. qq. regular. tom. 4. tract. 4. c. 25. num. 4.*

20 Admonentur Episcopi in *Clem. I. in fine de vita, & honestate Cler.*, curare ut nequeant, idest non debeant reprehendi de negligentia, in corrigendis Clericis negotiatoribus, aut ad turpia se immiscentibus, debent pariter satis vigilare, ne Clerici arma portent, tum quia arma Clericorum sunt Orationes, tum quia statum dehonestant, tum quia facilem aperiunt viam delictis, tum quia si contingat per Clericum fieri homicidium, evadit irregularis, ex homicidio etiam causali; idem Episcopus hoc negligens peccat, ut est *tex. in Clem. I. de vita, & honest. Cler. in fine, Sperell. decis. 126. num. 23.*, ubi *num. 24.*, quod *regulariter negligentia Episcoporum est peccatum mortale*, quod plurimum D.D. aucte, & ratione confirmant.

21 Hujusmodi enim correctio spectat ad illud Christi Petro impositum, *pascite oves meas*, quod onus ei imponitur in signum amoris, alioquin deficiens, patefacit sua hac negligentia, se, non Christum amare, quod expressit *Leo Papa epist. 4. ad Episcopos Siciliae*, relata in *c. divinis præceptis 25. quæst. 1. in fine* ibi (*quia negligenter pascens dominicum gregem toties commendatum*), *convincitur summum non amare Pastorem.*

22 Contremiscere, & onus formidare cogitur Episcopus, dum legit illud *sapientie c. 6. horrende, & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in iis, qui præsumunt fieri, exiguo enim conceditur misericordia.*

23 Propterea hanc negligentiam in corrigendo, & puniendo subditos esse culpam mortalem in Prælato, notavit *Grassius decis. aur. p. 1. lib. 3. c. 5. num. 132.*, ex nimia verborum prægnantia in *c. irrefragabili de off. Jud. Ordina.*, *Barbosa de potestate Episcopi p. 1. tit. 3. glos. 12. n. 5.*, & in allegato *c. irrefragabil. num. 9*, ubi *num. 3.*, quod negligentia Episcopi in hoc operatur, quod sua iurisdictio ad Superiorem devolvatur per ibi allegata.

24 Verum tamen est quod Principes, & Ma-

gistratus terre, & seculi, vel corripri recusant, vel ægrè ferunt, ac pauci reperiuntur, qui si sequi sunt David peccantē adulterio, homicidio rei, sequi velint penitentiam agentem, ad vocem Prophetæ corripientis, & Theodosium Imperatorem Ambrosio Episcopo corripienti humiliatū, obedientem, ac propterea multa prudentia, circumspeditione opus sit, ex quo apparet, quam difficile sit Episcopi munera sustinere. Verum si Episcopus vitæ sanctitate, scientiæ splendore, in laicorum oculis præfulgeat, facilius correptione multum proficiet, in quo ut plurimum obstant Episcoporum mores, qui Sanctissimam Dignitatem, laicorum more sustinent, superbientes, & gloriantes in divitiis, nobilitate familiæ attinentium splendore multoties divitias, & delectamenta sectando Episcopalem obscurant dignitatem, ut nō reverentiam apud populos, & Principes, sed potius contemptum sibi conquirant, de quibus in Iudicio Dei, quam graviter sunt reddituri rationem.

25 Præfaram autem Episcoporum negligentiam, esse causam multoties, ait *D. August. lib. 1. ad Marcellinum c. 9.*, ut Deus immittat flagellum, quibus & boni, & mali corripiantur, verba autem August. sunt (*Qua in re non utique parem, sed longè graviolem habent causam, quibus per Prophetam dicitur, ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram*, ad hoc enim Speculatores, hoc est populorum præpositi, constituti sunt in Ecclesiis, ut non peccent obiurgando peccata, undè & Paulus requirit, ut potens sit exorthari in doctrina sana, & eos qui contradicunt redarguere, qua propter *1. Regum c. 2. & 3.*, propter negligentiam Heli summi Sacerdotis multa mala prædicuntur sibi, filiis, & cæteris de domo sua eventura, immò, & divinæ revelationes manifestè cæsarunt, ut notat *Lyranus in principio ejusdem c. 3.*

26 Ex prædictis locis Ezechiel, etiam aperte colligitur secundo, quod delicta populorum Episcopo negligenti imputantur, ex quo *D. Jo. Chrysostom. tom. 1. homil. 3. in actibus Apostol. longè post medium*, scribit hæc verba (*Non temere dico, sed ut affectus sum, ac sentio, non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereunt*

pereunt in causa est, quoniam multas habeant causas, quæ depellunt ipsos à suis moribus, & innumeris oculis illis opus est undique non videri, quam multas res oportet ad esse Episcopi, ut sit appositus ad dicendum, ut tolerans malorum, ut tenax sit, & fidelis in doctrina, sermonis, quanta hæc difficultatis, & quod alii peccant, illi imputatur) hæc *Jo. Chrysostomus Episcopus*, qui nunquam destitit in suo Episcopatu nobiliorum hominum vendi licentiam corripere, & vehementius obiurgare, ait enim disertis verbis *Innoc. (error cui non resistitur approbatur, & veritas cum minimè defensatur opprimitur, negligere quippe, cum possis disturbare perverfos, nihil aliud est, quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare c. error. dist. 83., & Greg. relatus in c. consentire videtur ead. dist., ibi consentire videtur erranti, qui ad refecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.* Notat pariter *Sperellus decis. 126. num. 25. 26.*, quod Episcopus tenetur ob desidia in corrigendis subditorum excessibus, non modo de illis, quæ impunita reliquit, sed & de aliis, quæ ex hujusmodi impunitate oriuntur allegat *D. Jo. Chrysost. homilia de Absalon dicentem (scelera dum non ressecantur crescunt, & in augmentum facinoris prosilitur, quoties impunita severitate peccatur.*

27 Auctor autem relatus in *c. qui nec regimini 2. q. 7.* ait (*qui nec regimini in se rationem habuit, nec sua delicta deterfit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicens est magis, quàm Episcopus*, & licet Episcopus in se sit bonus, tamen gravatur excessibus aliorum subditorum, maximè familiarium, quos negligenter omittit incorrectos, nec sufficit quælibet correctio, sed debet efficaciter corripere *c. licet Heli de Simon.*, ubi *Abbas n. 2.*, *Jo. Andreas n. 2.*

28 Neque à negligentia culpa excusabitur Episcopus, si aut pietatis specie, aut quasi iniqua misericordia motus vehementius, & acris non corripiat, aut lingue delinquentium expavescens asperitatem, aut blandimenta, & adulationes eorundem suspiciens, nam hujusmodi excusationes Summus Pontifex Hormisda vehementiori sententiarum complexu reicit in *c. si quis Diaconus dist. 50.*, ubi post quam ostenderit, quod ea misericordia sit iniqua, contra Sanctorum Patrum, & Concilii Ni-

eni decreta, tandem disertis verbis hæc habet (*Verè dico, quia illi ipsi, quibus cum periculosa, & falsa misericordia indulgere videmur, cum ante Tribunal Christi pro tantis peccatis damnandi advenierint*) suple qui acris non fuerunt correpti ab Episcopo) contra nos causam dicturi sunt dicentes, quod dum aut asperitatem lingue eorum expavimus, aut falsa blandimenta, & periculosas adulationes ipsorum libenter accepimus, in eisdem permanere peccatis inutiliter indulgemus, aut ipsa peccata augere permittimus, non recolentes illud, quod in veteri testamento scriptum est, quia *uno peccante, contra omnes ira Dei deservit*, & concordat enunciatum illud *Innocent. Pontific. in dicto c. error, cui non resistitur approbatur, & negligere, quippe cum possis disturbare perverfos, nil aliud est, quam fovere dist. 83.*, ubi *Jo. de Turcrem. purpuratorum Sydes subnum. 2.* notat, quod Episcopus sicuti, & omnis Prælatu tribus modis debet corripere, nempe, mente, lingua, manu, primo ergo modo mente probando, vel reprobando dicta, aut facta subditorum, secundò, lingua reprehendendo increpando, vel arguendo, & obsecrando in omni patientia, tamen, & doctrina, non verò injurias, & contemptus præcipiti lingua pronuntians; tertio, manu idest manus inferendo pœnis, & castigationibus, vel spiritalibus, vel temporalibus coercendo.

29 Benè autem ex prædictis colligi potest, quod non debet promoveri ad Episcopatū, qui erat negligens in gubernanda, & moderanda familia, ejusque familiaria negotia dirigendo, quia *si domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesie Dei diligentiam habebit*, ait *Paulus 1. ad Timoth. c. 3.*, qui negligens est in minimis, multo magis dubitari potest negligens futurus in majoribus ad *tex. in c. sicut bi ad medium dist. 47.*

30 Hinc meritò totius Ecclesie ordinem à Deo positum, & constitutum, per Episcoporum negligentiam subverti, ait *Bernard. in expositione regule S. Benedicti p. 3. c. 7.*, in hæc verba (*negligentia Prælatorum tantam deordinationem, & confusionem induxit, quod in eis est terra sursum, & Cælum deorsum, pedes super caput, facies retro, & interiora extra facta sunt, Deus ibi conculcatur, & terra defiscatur, Diabolus honorificè recipitur, Deus verò contumeliosè repellitur.* Percurant attentius

tius Episcopi exoro, quæ Reverendissimus Episcopus Sperellus de huiusmodi Episcoporum negligentia, Italicè scripsit in suo opere titulo (*Il Vescovo del Sperelli*) p. 3. c. 67. 68., & à tanto viro notatum videbunt quanta mala sequantur in Ecclesia Dei, propter Episcoporum negligentiam.

31 Tertio colligitur, quod cum Episcopatus sit matrimonium spirituale, *c. inter corporalia de translatione Episcop.*, ubi *D.D. c. sicut Vir. 7. q. 1., c. cum inter de eluct.*, ideoque sicut Maritus, si negligeret Uxorem, nec onera matrimonii sustineret, graviter delinqueret, cum fructus dotis capiat propter onera sustinenda *l. pro oneribus C. de Jure dot. Canon. coment. Juris lib. 8. c. 11. num. 4. Tiraquell. de retractu lignage ad fin. tit. num. 108.* Ita si Episcopus negligat sustinere onera Ecclesiæ suæ sponsæ, graviter delinquit, recipit enim fructus, & redditus Ecclesiæ sustinere, ad *c. presentis de off. Ordin. in 6.*, ubi *Barbosa, & D.D. n. 4., Gigas pensionibus quæst. 39. num. 7. q. 72. num. 1.*

32 Episcopos autem adeo negligentes corripiendos esse ab aliis vicinioribus Episcopis, vel ab Archiepiscopis; declaravit *Greg. Antemio Subdiacono Campaniæ lib. 11. epist. 29.* relatus *in c. pervenit ad nos, & c. nuntiatum est dist. 84.*, & si post adhortationem negligentes adhuc fuerint, ad summum Pontificem modis omnibus esse transmittendos, ut sic evigilent, & rescipiscant. Et *B. Clemens I. hujus nominis Pontifex in fine suæ primæ Epistolæ ad Jacobum Apost. de mandato B. Petri Apost. scriptæ, ait, Ecclesiastica non oportet negligenter, sed diligenter expleri negotia, hæc ergo præcepta nemo credat, absque suo periculo negligere, vel dissimulare, quia in iudicio Dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui ecclesiastica decreta neglexerit, & plura ex eo sequuntur mala, quorum aliqua enumerantur in *Trid. sess. 23. c. 1.,* nempe Clerici efficiuntur irreligiosi, seculares irreverentes, perit doctrinæ puritas, pauperes nimis patiuntur, aliaque munera pastoralia, quibus oves diriguntur ad salutem verbo, & exemplo defunt, nec implent ministerium suum, ut monet *Paulus 2. ad Timot. c. 4.**

33 Quarto colligitur, quod si Episcopus negligat residere in sua Ecclesia, & diocesi gravissimè culpatur, quia non residendo onera sui spiritualis matrimonii, omnino

sustinere nequit, & plura sequuntur mala, quam credi vix possit, ad quod legendum est, quod habetur *in c. 1. lib. 2. vitæ S. Caroli Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopi*, ubi describuntur quanta irreperint mala in toto illo amplissimo Episcopatu, ex neglecta residentia aliquorum præcessorum Episcoporum in eo, quæ à viro Catholico fortassis absq. lacrimis legi nequeunt.

34 Quantæ autem sit necessitatis residentia Episcoporum in suis Ecclesiis agit, *Trid. sess. 6. de reform. c. 1.,* ubi sub gravioribus pœnis prohibetur Episcopis singulis annis abesse à suis Ecclesiis ultra tres menses, & ex causa rationabili, & sine gregis detrimento, ultra verò tres menses non liceat, nisi urgeat Christiana charitas, urgens necessitas, evidens Reipublicæ utilitas; verum si Sacros Pastores zelus Domus Dei comederet, & vero charitatis igne inflamarentur, superfluum esset pœnarum minis eos ad residendum sollicitare, at si seculi fastu, divitiarum affectu impelluntur, nec pœnarum profunt minæ, sed contemptis ovibus, neglecta Ecclesia, exquisitis coloribus, quo ad iudicium seculi diutius absunt impunes, tanto gravius Deo vindice judicandos, de quo latissime *Urbanus VIII. sua constit. incipit Sancta Synodus Trid. sub dat. Romæ die 12. Decembris 1634.*

Limitatur tamen, ut absque negligentæ culpa possit abesse per duos, vel ad summum per tres menses, dummodo absque ullo gregis detrimento sit, juxta declarata per *Trid. sess. 23. c. 1. de reform.,* ubi, quod hæc permissa absentia, non debet contingere temporibus Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi diebus, quibus specialiter oves debent gaudere Pastoris præsentia.

35 Limitatur secundo, ad effectum visitandi limina Sanctorum Apost. Petri, & Pauli, quo tempore pro qualibet visitatione excusatur à residentia per quatuor menses Episcopi citra montes, ultra montes verò, vel mare degentes per septem menses continuos juxta dictam *Constitut. Urbani VIII. incipit Sancta Synodus editam sub die 12. Decembris 1634.*

36 Quinto colligitur, quod graviter delinquetur Episcopus, qui tedio laboris, otium quæreret, nam si condemnatur, qui ad

otium,

otium, & quietem, & pro evitandis laboribus Episcopatum contendit deponere *c. nisi s. verum, ubi D.D. de renuntiat., Paris de resignat. lib. 5. q. 3. num. 211., & seqq.,* ubi si laborem effugeret reprobatur, licet Ecclesiæ redditus non caperet, sed alius suffectus onera, & honorem sustineret, quanto magis reprobandus, qui diligentius Episcopalis mensæ capere curaret quidem redditus, labores verò, & onus negligeret, & tunc negligentia, adeo damnabilis est, ut stultitia reputetur *c. suggestum 7. q. 7.,* in quâ censuram incideret Episcopus ille, qui totum onus in Vicarium reiceret, sibi verò totos redditus caperet, contra quem invenit *Apostolus 2. ad Timot. c. 4.,* dicens (*ministerium tuum imple* (ubi nota verbum) *tuum*) ergo non *Vicarii, neque suffraganei, & verbum (imple),* quod importat usq. ad perfectionem, & totalem consumationem, unde nõ sufficit inchoare, aut partem oneris sustinere, sed præcipitur implere, & perficere. Vel etiam pro negligentis, & erroribus Vicarii in officio commissis, tenebitur rationem reddere Episcopus, quia debet sibi imputare, quod negligentem Vicarium elegerit *Sbroc. de officio Vicarii lib. 1. q. 33. 34., & post Sbroc., Corrad. prax. dispensat lib. 3. c. 6. num. 22.*

36 Quæ adeo vera sunt, ut laborem negligere non debeat Episcopus, sub prætextu, quod parvo profectu, vel absque fructu laboret, quia sicuti non de fructu, sed de labore munerabitur, quia labor operantis est, fructus vero est divinæ misericordiæ opus; ita è contra Episcopus non reddet rationem si infructuosè laboraverit, reddet verò, si laborem neglexerit, quod appositè satis explicavit *D. Bernardus lib. 4. de confid. ad Eug. Papam III. dicens (nolli diffidere, curam exigeris, non curationem, denique audisti curam illius babe, & non cura, vel sana illum, verò dixit quidam, non est in medico semper relevetur, ut eger, Paul. loquitur 1. ad Corint. c. 15. plus omnibus laboravi, nõ ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus edificavi, verbum insolens, religiosissimè vitans, quia unusquisque secundum suum laborem, accipiet, non secundum proveniunt, & ad hoc 1. Corint. c. 3. in laboribus potius, quam in profectibus gloriandum, putavit, sicuti alibi quoque habes illum dicentem, plerumque in laboribus plurimis, ita*

quæso factu, quod tuum est, nam Deus, quod suum est, satis absque tua sollicitudine, & anxietate curabit, Planta, riga, fer curam, & tuas explevisi partes, sanè incrementum stabit, ubi voluerit Deus, non tu, ubi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente scriptura (reddet Deus mercedem laborum Sanctorum suorum, securus labor, quem nullus valet evacuare defectus) hucusque *D. Bernardus.*

38 Sexto colligitur, quod negligere curam, & custodiam honorum, & rerum Ecclesiæ, valde damnabile est in Episcopo, qui sedulo, & diligenti cura debet invigilare, ne dissipentur, aut rapiantur; Qua propter in Concilio Antiocheno decreto relato in *c. Quæcunque ref. x. q. 1.,* dicitur *quæcunque res Ecclesiæ sunt, convenit cum omni diligentia, & bona fide, quæ Deo debetur, qui omnia providet, atque judicat, gubernari, & dispensari cum iudicio, & potestate Episcopi, cui totius plebis animæ videntur esse commissæ, quod Episcopis patefecit dominus in eo, quod contigit Riccardo Cantuariensi Episcopo primo D. Thomæ martyris successori, qui cū remissè, & negligenter se gereret in cura, & custodia rerum, & bonorum suæ Ecclesiæ, pro quorum diligenti cura, & defensione B. Thomas præcessor non dubitanter martirium gloriosè subierat, eidem Christus iratus apparuit dixitque (*tu dissipasti bona Ecclesiæ meæ, & ego extirpabo te à terra,* qua visione plurimum perteritus statim cepit ægrotare, & post dies octo obiit, ut refert *Roger. in annalibus Anglicanis, & post eum Baronius annal. tom 12. pag. 775. littera B.,* ubi etiam refert epistolam Petri Blesensis ejusdem Ricardi Canzelarii, qui de præfata negligentia, aliisque Ricardum ipsum multum redarguit, sicuti de simili negligentia, redarguitur Archid., qui bona, & vasa Ecclesiæ suæ neglexerat servare *in c. eaque de off. Arch. (ibi, quod si quid ex eis, vel negligentia, vel cujusquam fraude deperit, tu hoc reatu adstringeris, ubi glos. in Vers. Reatu advertit, quod negligentia Prælati mortale peccatum est, Felin. in c. quia quæsitum nu. 6. de off. Jud. deleg., & in c. 1. sub. num. 3. ad finem de treg., & pace, & c. quamvis de reg. Jur. ibi (non potest esse Pastoris excusatio, si Lupus oves comedit, & pastor nescit), ubi latè glos. in V. Pastor nescit, Anbaran. in c. 1. de off. Custodis, Mobedan. decis. 3. sub nu. 2. de sent. excomm., & post eosdem Sperell.**

Ff

decif.